

R 102.288<sup>(4)</sup> 1444.1664

# Christophoro Vualdis REVERENDI ATQVE CLARISS. VIRI (PIÆ MEMORIAE) D. M. ÆGIDIU VVALDIS FILIO, DE PRI- ma laurea, quæ ei in inclyta Academia Argento- ratensi, à Spectabili & Clariss. D. Deca- no, M. Theophilo Golio, decerne- batur die 6. Iunij, Anno M. D. LXXXIII. Gratulantur Amici.

IOAN. TURCENVS.  
Et Deus, & Musæ, Driades, Satyriq; Petulci:  
Et faueat studijs Cynthius ipse tuis.  
Ut possis quondam patrios ornare penates,  
Atque patris chari nomina ferre tui.  
Hoc precor hoc opto Vualdis de pectore toto,  
Audiat & summus vota precesq; Deus.

Mg  
Waldus, Christoph



ARGENTORATI APVD HAE-  
redes Christiani Mylij. 175837

Md. M.

BRIBES LIBRIS VOTIS LIBRIS

BIBLIOTHECA LIBRARIA



*AD CHRISTOPHORVM.*

*Quippe tibi primum meritò iam poscis honorem,  
Quem peperit longus, cum pietate, labor.  
Nam tua iam virtus, probitas, doctrinaq; vera  
Te partæ tanto laudis honore beat.  
Hinc est quod viridem lauri de fronde coronam  
Imponit capiti dexter Apollo tuo.  
Gnauiter incepum studij percurre laborem,  
Tunc partum mirè surget ad astra decus.  
Hac etenim magnos titulos ratione parabis,  
Atq; tuam laudem quisquis in orbe vehet.  
Quæso nouos igitur lauri fortunet honores,  
Aurea qui cœli condidit astra Deus.  
Et facilis sacro foueat te numine CHRISTVS,  
Vt possis studijs vsg; vacare bonis.*

*Jacobus Diel Landoënsis.*

ARGENTORATA APUD IAS-

LEPUS CIPRIUS MULLERI



CARMEN GRATVLATORIVM  
IN HONOREM INGENVI AC DOCTI IV-  
uenis CHRISTOPHORI VVALDIS, cùm prima ei Phis-  
lophiæ laurea in inclyta Argentoratensium Aca-  
demia decerneretur, Scriptum mutui amo-  
ris ac benevolentiae ergò, à

IOANNE RVLANDO

Aquisgranensi.

**V**nc vos ô dulces ad me penetrate liquores,  
Castalijq; precor rumpite fontis opus.  
Dexter Apollo mihi tua nūc penetralia pāde,  
Profer & auratæ fila canora lyræ.  
Est mihi fraterno VVALDIS qui iunctus amore  
Cantandus, quoniam laurea serta gerit.  
Laurea serta gerit, quondam gestata triumphis  
Diuum, Phœbææ claraq; honore comæ.  
Tu mihi dic Lauri quisnam de fronde coronam  
Hanc capiti cinxit VVALDIS amande tuo?  
Num delapsa tibi sublimi è vertice montis,  
Qui sacra Aonidum dicitur esse domus?  
Diuinis ea sit manibus contexta necesse est:  
Nam clarum satis hoc indicat artis opus.  
Sed neq; sublimi credo de vertice lapsam  
Aonij montis Pieriæq; domus.  
Temet eam sumpsisse tibi de monte putandum est  
Aonidum, ad sacras euolitando Deas.  
An tibi Dedaleas igitur connectere pennas  
Aeriasq; potes carpere fraude vias?

*Aut potes a ventis ad eas agitarier arces,  
Quas lepidas Musas incoluisse ferunt?  
Ast quid Dedale, <sup>calum</sup> queror, num rumpere pennis  
Arte queas? <sup>inube</sup> ventis aut penetrare nubes? <sup>leuiss.</sup>  
Cum tuus in studijs, quem nocte dieq; tulisti  
Cognitus assiduus sit mihi nempe labor.  
Te labor euexit: Labor in sublimia tollit:  
Hic facit Aonidum te superare domos.  
Tædia perpessus constanti es pectore multa:  
Ergo isthac merito dant tibi ferta Deæ.  
Pèrge, nec infælix desistas tramite cæpto:  
Pèrge ita, sic laudis præmia plura feres.  
Præmia plura feres: Ea nunc sit fausta precamur.  
Quæ capiti est viridis cincta corona tuo.  
Egregijs modò plura tuis vitatibus æqua  
Scribere fert animus. *VIVALDIS.* amice tibi:  
Sed nostris præcibus aures modò præbet Apollo  
Surdas, dans tepidis vota ferenda *Notis.*  
Hos igitur non fictus amor quos scribere iussit  
Exiguos versus consule quæso boni.*

#### *ALIVD AD EVNDEM.*

*P*ingitur ingrediens vasti per marmora Ponti  
Christophorus: pueri dum leue gestat onus.  
Trunca manus arbor regit: & vestigia firmat:  
Ne forsitan sœnis impediatur aquis.  
Hinc dubiam multis traxit sententia mentem:  
Arbor Christophori qualis habenda foret.

*Pars*

Pars etenim palnam voluerunt esse virentem;  
Pars oleam: pinum pars q̄ fuisse putant.  
Quin potius Lauri ramum nos credimus esse:  
Annixus firmet quo sua membra senex.  
Frondenti similis sacro sancta Ecclesia Lauro  
Dicitur: haud semel ut pagina sacra refert.  
Laurea quin etiam promittitur ecce corona:  
Constanti Christum qui coluere fide.  
Et nunc tot lauri velatos fronde videmus:  
Qui de Christophori nomine nomen habent.  
Testes sunt alij, Christi de nomine dicti.  
Et praesens uvaldis tu quoque testis ades.  
Christophori tu nomen habes: dabitq; ille corollam:  
De Lauro capiti, Dulcis Amice, tuo.  
Ergo tibi ex animo de tali grator honore:  
Atq; precor studijs prospera multa tuis.

Cosmas Vakius Flenspurgensis.

ALIVD.

L Inquere doctrarum, statuebas castra sororum:  
Ad rigidi cupiens, tendere Martis opus.  
Namq; tibi splendor, magis arridebat equestris,  
Doctus quam cœtus, Pierius q̄ chorus.  
Tu tibi perpetuum voluisti nomen in orbe  
Atq; decus clari laude parare viri.  
Lauriger è bello, sed te renocauit Apollo,  
Et iussit studijs, inuigilare bonis.

Fortè rogas factum cur sit? vestigia possis  
Ut tandem docti, patris habere tui.  
Artibus ingenuis concedant munera Martis:  
Concedant Lauro bella cruenta volo.  
Confugis ad Laurum: & meritò perchare sodalis,  
Ob decus ingenij, laurea serta geris.  
Te magis exornat Laurus, quam lata bipennis:  
Illa refert pacis signa: sed illa necis.  
Hunc igitur ~~V~~ ALDIS solidum tibi grator honorem,  
Quem meruit virtus, sedulitasq; dedit.  
Et precor ut possis placidè traducere vitam  
Nestoris: & cursum continuare tuum.

Fridericus Apelles Beijreuthensis.

ALIVD.

A Vsonius veteres mutauit. Papa Calendas  
Consueto Phæbum ratu abisse loco.  
Dum quia sub primo vehementer vere calores  
Miratur, rapido cunctaq; Sole premi:  
Atq; suos flores viridanti pascua amictu  
Fundere, & arboribus fronde redire comas:  
Ius sit ut Astrologus numeraret sydera pernox  
Quæreret & quanam deuia lege meent.  
Nesciuit demens veri quæ causa subesset,  
Atq; ideo solito mouit ab orbe dies.  
Et pia sacratis peragendis tempora rebus  
Debita, prob mores, illa nefasta tulit.

At

*At quia te VVALDIS Musarum præses Apollo  
Vedit Pieris in uigilare choris,  
Et nimium Aonij gustando pocula fontis  
Æternum docta querere ab arte decus.  
Noluit emeritos digne producere honores,  
Et tibi Musarum dona negare nouem.  
Nec mora frugiferæ subiecit semina terræ  
Et totum violis vndiq; sparsit humum:  
Atq; maritauit præcoei prædia fructu  
Nesciuit tales rusticus ipse vices.  
Maxima præcipue Musarum munera lauros  
Instruxit mira nobilitate Deus:  
Vos mibi (sic inquit) reddetis diuine cultu,  
Quæ decet: hoc præsens tempus & hora iubet.  
Sunt mihi bis septem decorandi fronde Ministri  
Fronde: tulit nostris quam sacra Laurus agris.  
Hoc labor ipsorum studijq; intensa Cupido  
Emeruit, iustum quæ meruere ferant.  
Dixerat: effundit pleno se copia cornu  
Germinat auratis frondibus omnis ager.  
Suavia vernanti contexit serta colore  
Inter sacratas docta Thalia Deas.  
Accurritq; tuis ridens & læta capillis  
Hæc meruit VVALDIS præmia ferre labor:  
En tua cæsareis circundo tempora lauris,  
O iuuenis nostri pars bene magna chori.  
Maxima Castalios biberes tibi cura liquores  
Exitit, en nobis non mala cura tui.*

*Sæpe*

Sæpe tuos vidit veniens aurora labores  
Quando mane suis æthera carpsit equis.  
Sæpe etiam insomnes ad lucem ducere noctes  
Te vidit, mater Memnonis astra vobens.  
Te sophia madidum sacrata nouimus omnes  
Infecit sensus Castalis vnda tuos.  
Nec labor in binas linguam dissoluere voces  
Cogere & ad certos metra soluta modos.  
Iam dulci voluis faciles in carmine iambos  
Iam iungis Latij verba pelasga modis.  
Ergo tibi sumas VVALDIS doctissime grata  
Nostra dedit quæ iam munera mente manus.  
Sic pergas, dabimus maiorum nomina laudum  
Prouerhet & studium qui regit astra tuum.  
Petrus Friderus Mindensis.

#### ALIVD.

T' Empus erat, memini, loca cum potiora tenebam,  
CHRISTOPHORE, ô penitus corde recepte mihi.  
Sed cur abiecto post te modò quæso sodali  
Surgis, honorato confaciende loco?  
Vis dicam? dicam, nec enim dixisse pigebit,  
Grande tuæ meruit sedulitatis opus.  
Inuideámne tibi meriti ferus osor honoris?  
Prospера, dispeream, ni tibi cuncta precer.  
Perge tua summum laude æquaturus Olympum,  
Te pede paulatim debiliore sequar.  
Christophorus Fürgang Olsnicensis  
Nariscus.

FINIS.